Śniadecki Joannis: Propositiones controversae ex Philosophia. a. 1775.

PROPOSITIONES CONTROVERSÆ EX PHILOSOPHIA.



I.

Principia Corporum naturalium sunt Materia & Forma in facto ùt ajunt.

II.

Principia Corporum naturalium Peripatetica admitti possunt, sed ùt Metaphysicè explicata.

III.

Systema *Gassendi* recipi non potest de Principiis rerum naturalium, nisi admittatur, quòd ex quolibet fieri possit quodlibet, tum quòd Corpora nulla ratione dividi possint in partes; nam cùm corporum cohæsio & moles fiat juxta Gassendum ex atomis hamatis uncinatis &c. ipsiq; unci & hami atomorum sint indivisibiles, sicut & atomi, sequitur corpus constitutum ex talibus atomis hamatis uncinatis nullo pacto posse secari in partes ac distribui.

IV.

Systema *Gassendi* propugnari potest, si aut dubiis prementibus satisfiat, aut accuratiùs explicetur. His enim rationibus inducti *Wolfius*, *Leibnitius*, *Newtonus* rejecto Systemate *Gassendi*, alias hypotheses tentârunt, suasq; particulas primigenias, aut elementa, aut monades non homogeneas, sed heterogeneas dixere; cùm per atomos *Gassendi* & modificationem earum, singulis phænomenis corporum respondere non possent.

V.

Elementa Quatuor vulgaria, itemq; Chymicorum Quinq; non possunt statui pro primis rerum naturalium principiis.

VI.

Nil vetat, quin elementa tam vulgaria, quàm Chymicorum saltem sensibilia principia dici possint.

VII.

Systema Peripateticum mitigatum sustinens diversam modificationem in corporibus vitæ expertibus pro forma essentiali, defendi certò non potest ob eadem ferè incommoda, sicut & systema *Gassendi*.

VIII.

Systema Peripateticum mitigatum defendi potest quantùm ad hoc, quòd doceat dari corpuscula exilissima & diversam modificationem; quin tamen ipsa modificatio pro forma substantiali certò sustineatur. Tali enim pacto redibunt in Philosophiam Peripateticam illa experimenta, & augebuntur, quæ olim Aristoteles in Historia Animalium 50. Voluminibûs comprehensa, in libris Problematum, in quarto Meteororum, de Sensu & Sensibili, in Mechanicis Quæstionibus non prætermisit: ùt observavit Eminꝰ Cardinalis *Ptolomæus*.

IX.

Materia Peripatetica bene definitur.

X.

Materia Peripatetica ùt principium Metaphysicè sumptam & abstractè, bene explicatur juxta Aristotelem Scholamq; illius.

XI.

Datur Forma Substantialis in homine belluisq; in corporibus verò vitæ expertibus modificatio statui non potest pro forma essentiali apud eos, qui defendunt accidentia absoluta, vel systema *Newtoni*, *Leibnitii* aut *Wolfii* amplectuntur.

XII.

Licèt non sit decisum, num diversa modificatio possit statui pro forma essentiali in corporibus vitæ expertibus? dari tamen diversam modificationem in iisdem corporibus, à qua variæ corporum affectiones deduci possint, in dubium verti non potest.

XIII.

Formæ materiales educuntur de potentia materiæ.

XVI.

Formas materiales substantiales in corporibus vitæ expertibus educi de potentia materiæ qui docent, gravia illis argumenta restant ad solvendum.

XV.

Gravitas corporum venit etiam à principio interiore.

XVI.

Gravitati corporum explicandæ non sufficit solum principium interius.

Defendentur in Collegio Majori Universitatis Cracoviensis Annô Dñi 1775. *Die* 31. *Mensis Martii Objectis satisfaciente V. D.* JOANNE SNIADECKI *AA. LL. & Philosophiæ Secunda Laurea Candidato.*

82

